

ipso vocabulo *Abstractivis*, tum de terminis & vocibus *Abstractivis*, quae in hoc mysterio adhibentur, ipsi esse sermonem, apparet. Quod primum spectat, meminisse debemus, ad terminum aliquem in Ecclesia servandum non semper requiri *summam necessitatem*, sufficere etiam *utilitatem*, ad quam non minus est respiciendum. Organa sunt perinde, ut alia, non semper & ubi vis, suo tamen objecto, loco & tempore, & utilia & necessaria. B. CHEMNITIUS, magnus hac in arte Roscius, initio libri de Duabus Naturis in Christo, non sine pondere generatim profitetur, *vocabulorum magnum in hac doctrina usum esse*: & speciatim de vocabulis *Abstractivis* & *Concretivis*: Hae notiones differentium *appellationum* per *vocabula abstracta* & *concreta*, quia monstrant, quando vel naturae ipsae in Christo distinctim considerandae sint, vel quando ipsa persona subsistens in utraque natura intelligenda sit, recte & utiliter in scholis inter eruditos in hac doctrina retinentur, ut eo facilius confusio naturarum vitari, & cum differentia naturarum personae unitas in loquendo conservari & perspicue judicari possit, quae cujusque naturae propria sint, & quomodo illa personae communicentur, & quid distincta natura in Christo praeter *physicalas proprietates*, ex *hypostatica* cum Divinitate unione, acceperit. p. 2. Addit quoque, *usum talium vocabulorum in hac doctrina ad res ipsas non turbandas & obscurandas, sed dislingvendas & explicandas, esse inventum & receptum.* ibid. Qua in re ad ipsius Allocutoris experimentum provocamus, quod in Institutionibus doctrinae de Christo exhibuit, & fassus est, ad naturam Communicationis recte exponendam & capiendam opus esse, ut descendatur in *scholasticum, philosophicum & metaphysicum campum*, patere enim deinceps, quantam utilitatem praesenti instituto illud sit affusurum. p. 353. Neque hic quaerendum esse, porro, ubi de *proprietum Communicatione* agit, dicit, de *obscureitate conceptuum*, si quis modo terminos intellexerit, cum ea perspicuitatis luce fulgere videantur, ut etiam simplices, & qui mysteriis metaphysicis nondum iniciati, atque ad altiora haec scandenda laud